



Fragment of a manuscript page with a large, mostly blank parchment area. The parchment is aged and shows signs of wear, including a tear on the left edge and several small holes. Two fragments of text are visible on the right side, partially obscured by tape. The bottom edge of the page features a red and black decorative border with Latin text.

Fragment 1 (top right):  
Capitulum  
De...  
De...

Fragment 2 (middle right):  
De...  
De...

Fragment 3 (bottom right):  
Ab. g.

Fragment 4 (bottom right):  
Ab. g.

Bottom border text:  
**D**eus qui scis tuis abdon **Evangelium**



DE  
ASTRONOMIA,  
Oratio secunda;

AUTORVM;

*Qui scriptis artem nobilissimam illustrarunt,*

DELECTVM;

ET

DOCTRINÆ

Vt pulcherrimæ, ita difficilimæ

ORDINEM

COMMONSTRANS.

*Ad Auditores huius discipline pub. habita*  
a

CHRISTOPHORO MEVRERO D.  
MATHEMATVM PROFESSORE,  
& Reip. Lipsiensis Physico.

Lipsiæ,

IMPRIMEBAT MICHAEL  
LANTZENBERGER.

Anno 1596.

... singularis innoceentis hominis tilla





Viro Clariss.  
CONRADO DASYPO-  
DIO MATHEMATICO IN ARGEN-  
TINENSI ACADEMIA EXCEL-  
lentissimo. S.



*Quod Horatius in peregrina-  
tores, qui vel inanes vel pristinis præ-  
diti moribus domum redeunt, venuste  
dicit: Cælum non animum mutant  
qui trans mare currunt: Id non in-  
commodè dici posse mihi videtur etiam  
in eos, qui in optimarum disciplina-  
rum studijs quidem versantur, at earum utilitatem tamen  
nec cognitam satis habent, nec certam veramq; in ijs cogno-  
scendis rationem tenent. Quantum enim ipsis vagabunda il-  
la obsit studiorum ratio, quo minus erudita doctrine curri-  
culum feliciter & cum fructu conficiant, satis illi probant at-  
testanturq; qui suo exemplo suoq; cum damno ingenti alios  
cautiores reddiderunt; Et sanè nos quibus docendi munus in  
Scholis publica committitur auctoritate, non sine exiguo di-  
scentiũ detrimento id ipsum indies experimur. Quare ut in a-  
uertendo etiam isto incommodo pro mea tenuitate, inserui-  
rem discantibus nostris imprimis; cum maximè pe-  
culiari iam oratione præstantiam, iucunditatem, usumq; mul-  
tiplicem artis nobilissimæ demonstraßem iisdem; visum est  
hoc tempore oratione noua in Auditorum meorum gratiam  
ostendere, ex quibus potissimum Authoribus in tanta copia &  
infinita ferè multitudine cognitio artis vera petenda sit, ac*

Quo ordine inter Mathematicas disciplinas ea addiscenda.  
 Quam quidem Orationē Superiorum autoritate approbatā,  
 etiam sub tuo nomine Vir clariss. nūc emitto; nō aliā de causā,  
 quā ut studiosa iuuentus nominis tui celebritate excitata,  
 maiori alacritate & discendi cupiditate in hanc iucundissimā  
 vitāq; humane maximē necessariā disciplinam incumbat; si  
 praesertim intelligat, hoc meum quaecumq; studiū tibi, ut ar-  
 tifici, non improbari, & omnino consilij mei rationem à te, qui  
 & acri iudicio, & censura graui vales, ferè solū pendere.  
 quāq; etiam hoc publico testimonio, per grati animi signifi-  
 cationem ostendere tibi volui, quantum in hoc studiorum ge-  
 nere, quod exemplo D. Hipp. & Magni Galeni nostri, cum ar-  
 te Medica semper cōiunxi, & per integros annos duodecim in  
 Academia nostra DEI. OPT. MAX. benignitate publicè docui;  
 quantum inquam, tuis praclarissimis monumentis haētenus  
 longo tempore, maximo labore, multisq; vigilijs posteritatis  
 memoriae consecratis, & ad prouehendam augendamq; rem  
 literariam in lucem editis, adiutus fuerim. Quicquid enim  
 est, quod in diuina Mathesi utilitatem aliquam habet insi-  
 gniozem, id à te summa perspicuitate facilitateq; fideliter tra-  
 ditum est, & explicatum diligenter. Quicquid est in ea dis-  
 ciplina reconditum, quicquid fructuosum id tuum ingenium  
 inuestigare, alijsq; fideliter & candidè communicare non de-  
 sinit. Testatur hoc doctissima Analysis Geometrica sex prio-  
 rum librorum Euclidis ante annos triginta pro Schola Ar-  
 gentinensi edita: Commendat illud ipsum studium tuum ma-  
 gnae autoritatis & acerrimi iudicij vir Iohannes Sturmius,  
 loquitur Heron tuus Mechanicus, Horologici Astronomici in  
 summo templo erecti descriptio: Vtilissimum Mathematicum  
 Lexicon, nec non eruditissime orationes illae, de amissa Ma-

thema-

D E D I C A T O R I A.

*thematicarum disciplinarum dignitate, eademq; recuperanda ad Fridericum I I. & Christianum I I I. Serenissimos Daniae reges, &c. & alia plura, summae eruditionis scripta, de quib. satius est tacere, quam pro ratione propositi nostri pauca dicere. His accedit & alia quadam dedicationis meae causa. Cum enim aliàs hoc tempore literas ad te mittere constituissem ad cognoscendum grauisimum iudicium tuum, de Pselli opere Geometrico, num illud commode, & cum discipulorum utilitate tyronibus proponi possit, ut eo paratiores ac instructiores ad audiendum & intelligendum Euclidem ipsum artificem in hoc studiorum genere summum accedant; nolui illas planè nudas ad te mittere, sed hoc modo pro coniunctione professionum nostrarum, meum quaecumq; erga te studiũ & obseruantiam tibi planam facere. Quam meam voluntatem & affectionem erga te singularem cum istoc consilio meo ad discipulorum utilitatem, Mathematicarum disciplinarum propagationem, Academiæ vero nostræ dignitatem directo, ut tibi pro summa humanitate tua neutiquam improbatum iri spero: ita iudicium tuum candidum & sincerum de Psello auidè prima occasione expecto. Vale Vir clariss. & hoc meum studium in optimam partem interpretare, me vero ipsum tibi commendatissimum esse sine. Lipsiæ An. 96. VIII. Idus Iulij. Quo die Anno 1476. à Sixto IV. Pontifice propter Calendarij correctionem, & anni Iuliani in integrum restitutionem, Romam vocatus excellentissimus Mathematicus Iohannes Regiomontanus Germanus, Purbachij nostri discipulus, re tandem infecta ob fata & inuidiam, non sine ingenti Mathematicarum disciplinarũ iactura, veneno (ut putatur) ætatis suæ anno Quadragesimo extinctus est.*

Christophorus Meurerus D.

A 3

D E



DE  
 ASTRONOMIA,  
 Oratio secunda.

**S**atis factum hesterna oratione ijs est, (opinor) qui nescio qua persuasione, in ea sunt ac versantur sententia, se nihil aut parum utilitatis atque emolumentum ex nobilissimo fructuosissimoq; Astronomiae studio auferre posse. Nunc itaq; pro dicendi modulo, nobis concesso, secundam instituti nostri partem aggrediemur, & vna eademq; breuitate ac perspicuitate ostendemus, ex quibus potissimum Authoribus tyrones Astronomicae disciplinae veram sibi Artis nobilissimae cognitionem comparare possint. Plurimum siquidem in eo situm est, ut omnium disciplinarum studiosi sibi statim initio certos & probatos authores, tanquam militiae suae literariae duces quosdam proponant, quos in totius studij curriculo postea sequantur. Certum quippe est, eos qui temere sine iudicio, ac sine certo ordine, per omnes scriptores hinc inde vagantur, praeter puerilem quandam & inanem delectationem, nullum plane fructum ex studijs suis percipere, nullamq; disciplinam, artemq; ingenuam & liberalem integre ac perfecte addiscere. Hinc non mediocri prudentia ac circumspectio requiritur, ut dijudicemus, qui potissimum veri & optimi sint huius vel illius artis Magistri. In tanta enim aevi nostri fugacitate & breuitate, tantaque

scriptorum

Argumē-  
 tum ora-  
 tionis.



scriptorum multitudine, ac copia infinita, nihil est tam necessarium, quàm in vnoquoq; genere optimos eligere authores, eosq; studiosè euoluere, atq; perpetuo in manibus habere. Nam qui in meliorum copia consilij quadam inopia deteriorib. dat operam, is & stultè operam ludit, & tempus inutiliter consumit, & nunquam ad perfectam & absolutam artis propositæ cognitionem peruenit. Enimvero licet à prima huius disciplinæ nobilissimæ inuentione, ad hæc nostra vsq; tempora, vbi ex D. O. M. singulari clementia & benignitate omnium disciplinarum fontes sunt reclusi & aperti; quamplurimi fuerint, qui partim in celeberrimis totius Europæ Academijs viua voce, partim etiam scriptis ac monumentis præclarissimis, hoc nobilissimū studium pertractarunt, excoluerūt, propagarunt, & per manus quasi nobis tradiderunt: at tamen, vt aliæ disciplinæ, humanæ vitæ necessariæ, ex infinita multitudine certum aliquem artificem tanquam Ideam, suspiciendam imitandamq; sibi proponunt, Medicina Hippocratem, eiusq; fidelissimum Interpretem Galenum, Philosophia Aristotelem & Platonem, Eloquentia Ciceronem, Geometria Euclidem, Archimedes, & aliæ alios, quos tanquam Deos quosdam in hoc literato orbe veneramur, nihilq; facile admittimus, nisi quod ex horum fontibus limpidissimis purissimisq; haustum est. Ita inter omnes illos, qui vnquam studium Astronomicum coluerunt, & ad posteros propagarunt, tanquam Atlas quidam præcelsus eminent; Claudius Ptolomæus Pelusiensis Alexandrinus Mathematicæ Scholæ instaurator ac princeps, homo omnibus seculis admirandus & propè diuinus, cum dubium nullum sit, quin

Ptolome<sup>s</sup>

D. O. M.

## O R A T I O   S E C V N D A

D. O. M. ipse pro immensa sua bonitate, singulari dono, & beneficio tam præstantem herosa in hoc studiorum genere excitavit, ut nobilissimæ artis studium etiam ad posteritatem aureis ipsius monumentis propagaretur. Hic enim vniuersam hanc disciplinam, quam Astronomiam appellauit posteritas ( Nam de altera quam Astrologiam nominamus, in futurorum prædictione atq; diuinatione occupata, nihil iam dicere decreuimus) summo cum labore præstantiq; mentis iudicio, optima methodo & inquisitionis modo primus comprehendit & absoluit, in præclaro illo opere & verè aureo XIII, libris distincto, cui titulum indidit *μεγάλης ἴης συντάξεως*, id est, Magnæ constructionis; In quo quidem opere id perfecit, ut ferè nulli posterorum facultas vlla fuerit illa penitissima Naturæ arcana altius animo ac cogitatione rimandi. Et sanè videtur hoc voluisse natura mater, ut in hoc genere studiorum iste vnus reliquos homines antecelleret, essetq; is, quem veluti suarum virium, omnium exemplum statueret atque ostenderet, quousque in hoc genere animo hominis eniti ac prodire fas sit, ut ne vltra istos limites contendens frustra labores atque operam consumat. Expleuit quippe & penitus absoluit ille, quicquid in Astrorum speculatione ab alijs inchoatum, quicquid etiam relictum ab ijs erat, adeo ut è naturæ sinu, naturam ipsam extorsam, prouocasse, & incertamen deduxisse videri queat. Hinc nempe factum, ut post eius ætatem abolitis cæteris eius generis Commentarijs, opus ipsius solum, ex quo diuinum artificis ingenium eluceret, ab omni doctorum cætu miro consensu approbatum, ceu consummatæ Astronomiæ The-

saurus

faurus ubiq; magnifieret ac studiose legeretur. Et manifestum est, quam præclare de posteritate ac discentium studijs meriti sint illi, qui diuinum illud opus, ne quidquam discentibus ad totius artis consumationem deesset, doctissimis suis commentarijs illustrarunt. Quorum in numero merito grata prædicatione agnosco Theonem illum Alexandrinum, interpretem sagacissimum, philosophum præstantissimum, & authorem grauisimum, cuius adeo est perfecta in interpretando diligentia, vt in prioribus libris nihil omitteret omnium, quæcunque ad integram pertractationem rerum subtilissimarum spectare videbantur, cuius quidem interpretationem Bessarion, vir præstantissimo ingenio & doctrina tantifecit, vt vna tota prouincia eam æstimare non dubitaret. Non defuit quoque sua doctrina ac industria doctissimo Proclo Diodocho, qui scripsit librum eruditissimum, veluti epilogum atque expositionem breuem omnium ferè eorum, quæ per totum opus Magnæ constructionis tradita ac demonstrata sunt. Lucæ præterea Gaurici Astronomi suæ ætatis celeberrimi annotationes, licet breues admodum sint, magnam tamen rebus, sua natura obscurioribus afferunt lucem. Atque optandū sanè esset, vt doctissimus Erasmus Osualdus Schreckenfuchsius, & post eum, alter ille Erasmus, posterioribus etiam libris manū admouissent: quantum enim utilitatis & commodi percipere studiosa posset iuuentus, me tacente loquuntur, huius in primum, illius vero in tres priores libros commentarij doctissimi luculentissimiq;. Sed non minus adiumenti Astronomico studio attulit, atque huius operis doctrinæ nobilissimæ Epitome, inchoata

Interpretes Ptolomæi.

Theon.

Proclus Diodochus.

Lucas Gauric<sup>o</sup>.

Erasmus Osualdus Schreckenfuchsius. Erasmus Reinholdus.

Georgius Purbach.

B

quidem

Ioan. Re-  
giomont.

quidem à celeberrimo Mathematico Georgio Purbachio, absoluta vero, à discipulo doctissimo Iohanne Regiomontano, ut is ipse de se in epistola quadam nuncupatoria testatum reliquit. Qua Epitome summi Artifices omnia ea quæ ad intelligendam Ptolomæi doctrinam & Astrorum motum rectè cognoscendum facere possunt, luculenta breuitate complexi sunt. Sed reperiuntur tamen in hac senescentis seculi defidia pluri-  
mi, quibus vile id opus Ptolomæi præclarissimum videtur; cum propter varietatem ac copiam rerum arduarum doctrinæque subtilitatem, tales se non esse intelligant, qui cum fructu aliquo Diuini Artificis monumenta legere, atque artis inde fundamenta perspicere vlllo modo possint. Qui fanè non immeritò id sibi dictum existimabunt quod Aristoteles etiam Alexandro Regi discipulo suo, de suorum librorum editione respòdisse fertur: Illud opus non ipsis esse editum, sed his qui Ptolomæum audierint, hoc est, instructi sint haud vulgari cognitione earum disciplinarum, sine quibus prorsus manca ac imperfecta est Astrorum celiq̄ue doctrina. Vtique adeò certè hîc opus est tum alias disciplinas Mathematicas, tum inprimis Geometricen callere, ut non tam necessarium fuisse Platoni videatur, quam Ptolomæo illud vnum lectoribus & discipulis suis dictitare: *ἔδεις ἀγεωμέτρησης δότω*. Sternere itaque sibi à primis annis ac quasi munire viam adolescentes poterunt ad artem atque autorem nobilissimum non ex lacunis, quæ non raro tyronem & lectorem imperitum à vera & recta via deducere solent, sed ex probatis multoq̄ue iam tempore receptis authoribus, simplicissimam artis cognitionem

nem sibi primum comparent, cuius postea beneficio atque adminiculo manu quasi ducantur præparenturque ad perfectam & integram artem discendam. Quantum enim omni tempore eiusmodi Isagogis & Introductionibus eruditissimis hominum doctrina & usu valentium attribuerint viri docti, varia multiplicique rerum præcipuarum scientia instructi, me etiam tacente, ex omnium facultatum & artium consensu manifestum est. Quem enim nostrum latet, quod in S. Theologia, omnium aliarum artium principe atque Regina, circumferantur, cum recentium, tum priscorum Theologorum introductiones doctissimæ, quæ fundamenta ac summa doctrinæ Christianæ capita breuiter & accuratè pertractant? Nonne Iurisconsulti, imitatione Cosmographorum, qui vniuersum orbem in angustiorem tabellam, vacuis terræ spacijs omissis, contrahunt, & celebriores duntaxat ciuitates ostendunt, luculentas summi & sapientissimi Imperatoris Iustiniani Institutiones, nec non Canones ac Regulas Iuris, acerrimo ingenio conditas, habent, quarum adminiculo vniuersam Iuris scientiam, usu & necessitate in comuni hominum vita latissimè patentem, tanquam in exigua tabula comprehensam & propositam habent? Nostra medendi ars, libros Introductorios doctissimos habet, inprimis Aphorismos Hippocratis Medicinæ parentis, nec non paruum Galeni artem, sicuti & aliorum recentium exacta diligentia, & eleganti iudicio, exaratas Institutiones complures, in quibus summa & præcipua totius artis nostræ theoremata, ratione & ordine distributa in breuè & succinctam Methodū contracta sunt, vt inde quid in vniuersa arte Medica propositum

Introdu-  
ctionum  
necessitas.



tyroni sit, facilimè cognosci possit. Sic vt ad plenam, solidam & absolutam fanioris philosophiæ Aristotelicæ cognitionem consequendam discentibus aditus patefieret, Vir incomparabilis & eruditi seculi decus Melancthon Introductiones & Erotemata summa eruditione ac doctrina referta, in omnibus philosophiæ partibus posteris reliquit. Et hæc præcipua quoque nobis ratio fuit, cur ante septennium, duas illas primarias Mathematicas partes: Arithmeticam & Geometriam Pselli, Philosophi Platonici & Mathematici clarissimi, temporis iniuria & Mathematicarum disciplinarum intermissione, non sine summo discentium detrimento penè suppressas, in tyronum manus cuperemus reuocatas, numeroque disciplinarum, quæ in hoc nostro Archigymnasio iuuentuti proponuntur, suo loco & ordine insertas, vt nimirum studiosi Mathematicarum disciplinarum haberent in posterum viam magis regiam & compendiarum, quam summus rex Ptolomæus fertur etiam desiderasse, perueniendi ad Mathematicæ cognitionem; quæ vt vsu, ita necessitate amplissima est, latissimeque patet. Et sanè artis nobilissimæ viam hanc breuiorem etiam quæsiuerunt nostro seculo, licet impari planè successu, quamplurimi. Quem enim in literis & optimarum artium disciplinis mediocriter saltem versatum latet, quanta sit recentiorum complurium, qui Astronomiæ seu Sphæricæ doctrinæ Elementa conscripsere, in hac re contentio & studium? Equidem illos hoc loco recensere, & nimis longum atq; etiam inuidiosum esse video; Sufficiat itaque prætermiſsis alijs nunc monuisse, pro fide quidem ea, qua me vobis auditores charissimi obstrictum esse

Sphærica  
doctrinæ  
scripto-  
res.

esse scio, professionique meæ, cuius dignitatem, estimationem & propagationem, vt par est ac decet vnicè quæro: Ita nempe priorem illam Astronomiæ partem, quæ de primi cœli motu est, & in Scholis vulgo Sphærica dicitur, quam prioribus duobus libris *μεγάλης τῆς συντάξεως* ordine aptissimo complexus est Ptolemæus, pertractatam mihi quidem videri à Iohanne de Sacrobosco, Anglo, suæ ætatis, Philosopho & Mathematico clarissimo, vt iure merito inter omnes omnium aliorum in hoc genere operas mirabili doctorum virorum consensu & maxima cum approbatione tot iam seculis (floruit enim ante annos trecentos & sexaginta quatuor) primas habuisse iudicetur, cum ob mirificam rerum præcipuarum Astronomicarum breuitatem, tum Methodum omnibus modis absolutam & ordinem ad docendum optimum aptissimumque. Atque hinc est, quod sanè alij ferè omnes, qui in eodem hætenus laborarunt argumento, ab hoc vnico, tanquam primo Sphæricæ doctrinæ authore inter Latinos plurima mutuati sunt. Quicquid enim ferè in vniuersum vtilioris doctrinæ opusculis istis inest hinc inde collectis, non tam ipsorum laboribus quàm Sacrobosci merito grata prædicatione referendum esse videtur. Qua tamen in re nonnulli recentiorum, ne in aliquam surreptæ artis suspensionem apud doctos incurrerent, sua opuscula, nescio quo doctrinæ iudicio, ex varijs disciplinis, ijsque diuersis compilârunt, & varijs etiam dubitationibus inuoluerunt, atque ita *ἐγχευμένων* loco, volumina, ingenti quidem mole si folia numeres, conspicua, attamen integræ ac totius artis respectu imperfecta & prorsus manca reliquerunt,

Iohan. de  
Sacrobos-  
co.



E scripto-  
rum mul-  
titudine  
incom-  
da.

Aetas Sa-  
croboſci  
in mediã  
barbariẽ  
incidit.

obliti interim, quod iuuentutis teneræ causa in omnibus artibus atque disciplinis breuitas omni studio fit conſe-  
ſtanda. Eâ nempe re nihil hætenus effecerunt aliud, quam quod in iſtiusmodi varietate etiam aliàs fieri ſo-  
let, vt nimirum plurimi diſcentium inopia quidem con-  
ſilij, at infinita ſcribentium multitudine ac copia, loco  
fontis limpidiſſimi puriſſimiq̃ue lacunas turbidas degu-  
ſtarint, atq; ita ad veram pulcherrimarum iucundiſſima-  
rumq̃ue rerum Aſtronomicarum poſſeſſionem, penetra-  
rint. Videant ergo autores illi quàm præclare hætenus  
ſua ſcribendi cupiditate de Repub. ſcholæſtica diſcenti-  
umq; ſtudijs meriti ſint; dum eo modo è Scholis autho-  
res multis iam ſeculis, maxima cum approbatione do-  
ctorum receptos, & vſu multo approbatos eiecerunt, ſua  
vero fragmenta, cum illorum ſcriptis nullo modo con-  
ferenda, infelici permutatione diſcentibus obtruſerunt:  
In noſtro fanè Authore quis recte iudicantium quic-  
quam deſiderare fortè poteſt? Ipſa artis ſpectetur perfe-  
ctio; & liquidò res ſententiæq; noſtræ veritas patebit. E-  
locutio vero, ſi vtique ea horridior videri poteſt; veni-  
am vel propterea meretur, quod ætas eius in mediam in-  
cidit barbariem, qua non tam bonis literis ingenia, quàm  
ingenijs neceſſaria cultura deerat. Ac dubitandum om-  
nino non eſt, ſi noſtrum eruditum ſeculũ attingere ei li-  
cuiffet æquè polito dicendi genere vti potuiſſe, atq; vſi  
illi ſunt, qui in Aſtronomia iam DE I benignitate excul-  
ta huiusmodi artem emendatius editam voluerunt. Sed  
omnino diuerſum ſentientibus delitias ſuas relinqua-  
mus; atque ad authorem Sphæræ, vnde digreſſi ſumus  
nos denuò conferamus, de quo quidem apertè ac con-

ſtanter





Theodor<sup>9</sup>  
Grammi-  
neus.

rus Graminæus. Quantum enim huius enarrationes ad-  
iumenti adferant, cum ad difficiliore quafdam Sacro-  
bosci fententias tum fecundum librum Plinij, qui pla-  
nè Aftronomicus eft, eoq; nomine lectione digniffimus  
reftè intelligendum, teftes effe poffunt, qui in iftius li-  
bri lectione non ofcitanter funt verfati, & cum ipfo Pli-  
nio has eruditas & luculentas enarrationes diligenter  
contulerunt. Sunt denique tertij ordinis, qui vtuntur  
explicatione luculenta, plana & perfpicua, ita vt nihil  
planè in ipsis, meo quidem iudicio, defiderari facile  
poffit: Et huius classis funt duo præcipui & doctiffimi  
viri; Erasmus Ofualdus Schreckenfuchfius, de ftudijs  
Mathematicis optimè meritus, & Christophorus Cla-  
uius Papebergensis, cuius cum in hanc, tum in alias  
quafdam Mathematicæ partes, eruditæ extant com-  
mentationes. His etiam potest annumerari Francifcus  
Iunctinus, cuius commentarij fatis prolixi hodie quoq;  
circumferuntur; Sed is tamen tum in his tum in alijs fuis  
fcriptis, potius transcriptoris (ignofcatis libertati) quã  
commentatoris vicem tenet.

Schreckē-  
fuchfius.  
Clavius.Francifc.  
Iunctin<sup>9</sup>.

Proclus.

Quemadmodum autem inter omnes latinof Sphæ-  
ricæ doctriinæ fcriptores, primas, optimo iure, Sacro-  
bosco attribuimus, vtpote cuius præceptiones cum  
prædictis maximè commentarijs coniunctæ in ipfa artis  
huius penetralia nos deducunt: Ita apud Græcos pri-  
mas tenent Proclus Diodochus, & Theodofius *τεπολί-  
της* natione, triū librorum Sphæricorum author: Cuius  
quidem vtriusq; fcripta cum Authoris noftri libro dili-  
genter omnino coniungenda effe arbitramur. Non tan-  
tum enim Proclus fuma breuitate, perfpicuitate, nec

non

non Methodo atq; ordine aptissimo, vniuersa Sphæricæ doctrinæ, seu primi mobilis Elementa, principiaq; complexus est, sed insuper etiam de occultatione & emerſu, magnitudine, ordine, potestate atque interuallo circulorum æquidistantium erudite egit, de sententia quidem Græcorum, qui à Poli eleuatione Arcticos suos, & non à maxima Solis declinatione, Latinorum more, describunt: vt interim taceam, breuem ac succinctam illam stellarum fixarum in calce eiusdem libri de Sphæra tractationem, in qua breuiter & dilucide configurationes omnes, tanquam in tabula quadam depictas exhibet. Cui doctrinæ, si quis saltem adiungat, non dicam Hyginum & Aratum, qui de his rebus accuratè & doctè scripserunt, sed de stellis fixis cognoscendis librū Alexandri Picolominei viri doctissimi, qui non poëtarum more ad formam huius vel illius animalis stellarum configurationes, sed pro vt in cœlo ipso visuntur, ordine disponit; Equidem non video, quid ad exactam stellarum fixarum cognitionem hauriendam deesse cuiquā fortè possit. Post Proclum verò Theodosius quantum in hac parte præstiterit, Sphæricorum ostendunt libri; sine quorum adiumento plurima in hac prima Astronomicæ doctrinæ parte sunt obscurissima: cum ex solidis Geometriæ principijs ac fundamentis, varias Sphære proprietates, quarum cognitio magnopere necessaria est, demonstrent. Quibus libris Sphæricis, summa certè eruditione refertis, non parum lucis ac perspicuitatis attulit suis doctissimis scholijs idem Christophorus Clavius, & præter hunc etiam, Ioh. Pæna Mathematicus Regius; sicuti Sphære Procli Commentarij proluxi

Hyginus.  
Aratus.Alexāder  
Picolomi-  
neus.

Theodosi?

Clavius.  
Ioh. Pæna

C

&amp; eru-

Stophler<sup>9</sup>.

& eruditi Iohannis Stophleri, qui ante annos circiter octuaginta cum laude, ad ætatis suæ octuagesimum vsq; Tubingæ docuit, & pro virili suo Astronomiam propagare ad posteros studuit, Quod me etiam tacente, inter alia doctissima ipsius scripta testatum faciunt libri de Fabrica & vsu Astrolabij Instrumenti nobilissimi vtilissimique.

Georgius  
Purbach.

Vt autem Primi mobilis seu Sphæricæ doctrinæ explicatio nos manu quasi ducit in primam Astronomiæ partem, quam summus artifex Ptolomæus complexus est prioribus duobus libris τῆς μεγάλης συντάξεως; Ita secundorum mobilium tractatio in Theoricis Planetarum comprehensa, aditum nobis facit, ad alteram illam Astronomiæ partem, quam in cæteris libris Magnæ suæ constructionis nobis eruditè admodum traditam reliquit Ptolomæus. Hanc autem doctrinam vtilissimam & necessariam, à priscis olim ad saluanda varia planetarum phænomena, solerti iudicio excogitatam, summo & exquisito iudicio, ac fidelitate, ex ipso etiam Ptolomæo, artifice in hac disciplina ferè vnico, deductam, succincta & erudita introductione comprehensus est Georgius Purbachius, Bauarus natione, vir integritate vitæ & liberalis doctrinæ, inprimis Mathematicum scientia supra omnes nostræ ætatis homines eruditus. Non enim viua duntaxat voce nobilissimam artem, & cum præclara nominis sui laude, & summo discipulorum vsu Viennæ ante annos circiter centum & quinquaginta docuit, sed præclarissima etiam opera Mathematica, Sphæras solidas, & alia instrumenta Astronomica admiratione digna posteris reliquit. Quò factum est etiam, vt propter

doctrinæ

doctrinæ & ingenij excellentiam à Friderico III. Romanorum Imperatore, & Sigismundo altero Archiduce Austriæ annuo stipendio donaretur, & apud Reuerendissimum Cardinalem Patriarcham Constantinopolitanum Dominum Bessarionem, cum ibi fortè legatum ageret, summo in honore præ alijs esset. Sed eius viri laudes eximias hîc pluribus commemorare nostrum nō est: Ideoq̄ue ad Isagogen, vnde digressi sumus, vt de nuò nos conferamus, & tempus & instituti nostri ratio monet. Multis autem nominibus nobis commendatum esse debet hoc opusculum Astronomicum Purbachij à Theoricis Planetarū inscriptum, quod hoc tempore explicandum suscepimus; inprimis autem eò, quod nobis aditum faciat ad Magnam illam Ptolomæi constructionem, in qua huius pulcherrimæ artis fontes, demonstrantur, & ex ipsis fundamentis totum illud artis ædificium quasi extruitur: & quanta sanè iudicij dexteritate in eo conscribendo vltus sit autor, ij facile intelligunt, qui Ptolomæum ipsum legerunt, & quibus ipsius Purbachij ingenium & doctrina incognita non est. Sanè vt ex quibusdam circumstantijs colligere licet, editum est illud opusculum, biennio ante obitum (obiit autem morte immatura Viennæ; vbi adhuc eius Epitaphium in Ecclesia Cathedrali reperitur, 6. Idus April. Anno Millesimo Quadringentesimo sexagesimo secundo, ætatis suæ trigesimo nono) quo tempore inter alia, maximam etiam Solis declinationem obseruasse fertur, cum videlicet ea ætate, ceu maturiore neq; exquisitum iudicium, neq; excellentem doctrinam ipsi defuisse verisimile sit. Studio equidem tanto tantaq; diligentia ipsum in Pto-

Theorica  
planetarū  
Purbachij



O R A T I O S E C V N D A

lomaο versatum fuisse, & ita probè textum animo tenuisse accepimus, vt non tantum sententias integras & rē ipsam, sed verba quoque complexus memoria sit; attestante id ipsum doctissimo Regiomontano in quadam epistola ad Bessarionem Cardinalem exarata. Et est profecto auditores nō cuiusuis & mediocris artificis, tales artium difficilimarum *εισαγωγὰς* conscribere, ac materias propter rerum varietatem latissimè patentes, breuiter & succincte, nec minus tamen perspicuè discipulis tradere. Siue autem docendi ordinem in hoc opere spectemus, siue materiam, quam sibi in eo explicandam proposuit Purbachius, nihil planè inuenimus, quod sit à vera & exacta docendi methodo ab omnibus sanioribus philosophis approbata, & ab ipsius Ptolomæi fundamentis ac recentiorum obseruationibus doctissimis alienum. Vtitur enim, si quis totius Tractationis seriè diligentius ppendat, tū in singulis Theorijs, tum in toto opere Methodo *συνθετικῆ* ad docendum aptissima conuenientissimaq;. Nam primū à simplicissimo Solis motu initium ducit, & ad implicatiores, atq; difficiliore reliquorū Planetarum motus paulatim progreditur, donec ad intricatissimum Mercurij cursum prouehitur. Postea in secunda parte, cui titulum indidit, de Passionibus planetarum, omnium motuum accidentia, distinctis capitibus; secundum quinque vsitata passionum genera, comprehensa, eruditè ac breuiter explicat: Ac tandem in fine difficilimum illum & vix demum cognitum octauæ Sphæræ seu Trepidationis motum, cuius gratia Thebith Iudæus quadraginta annis fertur in mōte habitasse, enarrat. Materiam ipsam si spectes, numerum, situm, atq; dispositio-

nem

nem orbium, motuumq; omnium planetarum inuenies, sicuti etiam non deest exacta terminorum Astronomicorum explicatio, quæ ad intelligendas tabulas Astronomicas, vt sunt, Alphonsinæ, Brutenicæ, Blanchini, Stophleri, Stadij, Schoneri, Leouitij, & aliorum maximo opere est necessaria. Planetarum præterea directiones, retrogradationes, stationes, ortus & occasus, aspectus, coniunctiones, latitudines & declinationes & aliæ huiusmodi apparentiæ ita perspicuè sunt demonstratæ, vt nihil, quod ad consummatam secundorum mobilium tractationem pertinet, deesse videatur. Taceo interim doctrinam de triplici Octauæ Sphæræ motu, secundum Alphonsinorum & Thebith Iudæi eruditè ac perspicuè propositam. Cum itaque hoc opusculum Purbachij, tam varias, multiplices & iucundas necessariaeque contemplationes rerum præcipuarum Astronomicarum contineat, & omnia etiam in eo venustissimè inter se cohæreant, imo plurima dilucidiora sint, ac multo copiosius tradita, quàm in ipso Ptolomæo, factum est summo cum vsu discentium, vt quidam illud ipsum non Isagoges, sed potius paraphrasis loco haberent, & in Academijs ex nullo alio authore, quàm ex hoc vno, secundorum mobilium doctrinam, quæ alteram illam Astronomiæ partem constituit ac perficit, discentibus proponendam censerent. Quanquam difficultas huius doctrinæ, quæ multis scribendi viam interclusit hætenus, in causa fuit, vt vix vnus atq; alter in ista contrahenda arte vires ingenij periclitati sint. Nam præter Purbachiū vnus (quod sciam) Gerhardus Cremonensis in hac parte desudauit; cuius Theorijs tamen illas Purbachianas

*sententiam*Gerhardi  
Cremonē  
sis Theorijs  
Planetarij.

nouas multo correctiores esse constat; quod ipsum me tacente etiam ostendit doctissimus Dialogus Iohannis Regiomontani contra deliramenta Gerhardi conscriptus. Neque est, ut quis nimiam auctori nostro breuitatem & obscuritatem, quæ sese alicubi offert, obijciat. Sunt enim nobis Dei benignitate lucubrationes in hunc libellum doctissimæ, quarum beneficio obscuritas omnis facile tollitur, inprimis Erasmi Reinholdi, Erasmi Osualdi Schreckenfuchsi & Petri Nonij. Et quidem primus Erasmus, non saltem perspicuis figuris nouis, sed & eruditis scholijs Theorias illas nouas auctas & illustratas esse voluit. Licet enim breues illæ sint, ita tamen illustres & luculentæ sunt in explicandis theorematis difficilimis, ut vicem commentarij optimo iure explere possint; Et sanè optanda esset posterior eius editio, quæ ab ipso quidem emendata, sed morte interueniente in manus discipulorum prolata non fuit; vtilissimo labore viri doctissimi non sine magno studiorum Mathematicorum detrimento per fata intercidente. Post Reinholdum alterius Erasmi commentationes multo copiosiores sunt, & ad fontes veros quoque magis directi: Vbi que enim tabulas tam motuum mediorum quam verorum planetarum continent, ostenduntque quomodo ex ipsis fontibus tabulæ sint constituendæ, & quomodo ex illis ipsis motus elici debeant. Petri Nonij vero eruditione haud vulgari refertæ sunt explicationes, sed non nisi in Mathesi ac demonstrationibus Euclideis bene exercitatis conferunt. Habent enim ea duntaxat, quæ ab alijs interpretibus, vel non satis, vel non rectè (ut ipsius Nonij vtar verbis) exposita sunt. Atque hinc singulari

Interpretes  
Theor.  
PurbachijErasmus  
Reinholdus.

Schreckenfuchsius.

Petrus  
Nonius.

gulari



gulari cum iudicio vt legantur omnino necesse est. Hæc ego commemorans Auditores optimo & candido animo de prædictis authoribus liberè meum iudicium pronuncio, vt discentes ipsi sciant, qui nam potissimum aucthores ab ipsis priuato studio tanquam muti Magistri consulendi & euoluendi sint, cum nostrum propositum, animique intentio nequaquam ea sit, vt vos proluxa explanatione onerandos, multo minus in vnius Authoris declaratione diutius quam par est, detinendos esse censeamus, cum non omnibus ob fortunæ tenuitatem, & necessitatem aliarum disciplinarum vtilissimarum integrum sit, tam diu in Academia manere, donec integrum Mathematicarum disciplinarum circulum nobis in illustrissima constitutione præscriptum explicando conficiamus. Quod sane impedimentum scio, cum in hac, tum in aliarum artium professionibus multos & quidem discendi aliàs cupidissimos adolescentes persæpè à bono proposito atque instituto auocare. Quocirca si cum fructu & aliquo successu studiorum vestrorum in hoc vtilissimo fructuosissimoque studiorum genere versari, vobisque integram ac perfectam astrorum cœlique cognitionem comparare, & in tempore ad ipsum Ptolomæum, Nicolaum Copernicum, quem iure alterum dixeris Ptolomæum, Ioannem Regiomontanum, & alios nostræ quoque ætatis artifices præstantissimos viam munire vultis, vos diligenter pro meo officio moneo & hortor, ne vos initio scriptorum multitudine obruere, sed paucos, attamen bonos ac doctorum consensu probatos & receptos aucthores familiares vobis reddere velit. Perpetuoq; animo vestro istud perpendere: Sicut

Nicolaus  
Copernicus.

non

non illi, qui plurimo cibo vtuntur, melius valent ijs, qui quantum opus est assumunt: ita quoque non eos, qui plurima, sed qui vtilia legunt ac discunt, in numero doctorū esse.

Optimus  
Magister  
bonus or-  
do in stu-  
dijs.

Oecono-  
mia disci-  
plinarum  
Mathema-  
ticarum.

At non sufficit tamen auditores charissimi, vt quis bonos authores publicè tantum audiat, eosque priuato studio diligenter euoluat, sed requiritur præter cæteras virtutes ac dotes, quibus instructum esse vult discipulum Diuinus Plato, bonus etiam ordo in studijs, qui omnium eruditorum suffragio optimus censetur in discendo Magister. Plurimum siquidem hoc mirificè obesse solet, quo minus cito & expedite in bonarum artium studijs progrediantur; quod certum in tractandis studijs ordinem non seruent, sed nunc per hanc, nunc per illam disciplinam volitent, nunc ab infimis ad summa, nunc rursus à summis ad infima deuoluantur, omniaque mira adeo confusione commisceant, vt planè nullus ipsis, ex tam vagabunda studiorum ratione constare possit suæ diligentiae fructus. Qua de re, vt etiam in hoc studiorum genere vobis vera ac certa possit constare discendi ratio, breuiter nunc, explicatis cæteris, colophonis loco subiungam, ostendamque: Quo nam ordine, inter disciplinas vniuersam Mathematicam constituentes discenda sit astrorum cœlique doctrina. Ordo autem cum maximè cernatur conspiciaturque in Oeconomia seu vera & legitima disciplinarum Mathematicarum dispositione; Ideo non ignorandum est initio habere hanc disciplinam nostram vniuersim acceptam, præter suam inuentionem & originem, more aliarum artium omnium, suum quoque incrementum, ac suam

perfecti-

perfectionem. Vnde procul dubio factum est, vt Mathematicam alij in disciplinas quatuor, alij vero in plures, paucioresue diuiferint. Nam Diuinus Plato, Aristoteles, Euclides, Proclus & alij, qui horum insistent vestigijs, vniuersam Mathematicam in duas tantum partes seu disciplinas, à natura & essentia quantitatis distinctam esse voluerunt. In eam nimirum, quæ contemplatur magnitudinem seu quantitatem continuam, cuius partes cohærent termino communi: & illam quæ perpendit cõsideratq; multitudinem seu quantitatis discretæ naturam. Et hanc quidem *ἀριθμητική* Arithmeticam nominarunt Phænices, qui huius disciplinæ ob mercaturas & commertia, nec non iustam rerum in contractibus æstimationem primi creduntur inuentores: illam autem à metienda terra Geometriam dixerunt Aegyptij, à quibus ob crebram Nili inundationem primum eam artem inuentam esse antiquissimus & fide dignissimus scriptor Berosus affirmat. Quam quidem ad diuisionem Mathematices Elementa quoque Euclidea directa esse obscurum non est, siquidem Septimus liber, cum duobus sequentibus, quantitatis discretæ est proprius; reliqui vero omnes quantitatem respiciunt continuam, duobus saltem exceptis, Quinto nimirum & Decimo, qui propter Arithmetices atq; Geometriæ cognationem eximiam in mixtarum partium numero habentur. His duabus autem primis & puris Mathematicæ disciplinis, à quibus reliquæ omnes ortæ ac propagatæ sunt, duas porro alias scientias, Pythagorici philosophi summi & rerum obscurarum diligentissimi inuestigatores addiderunt: eam nimirum, quam

Prima Mathematices diuifio

Arithmetica.

Geometria.

Elementa Euclidea ad vniuersam Mathematicam sunt directa.

I. Mathematices diuifio.

D

Ptolo-



Astrono-  
mia  
Musica.

III Mathe-  
matices di-  
uisio.

Certitudo  
Mathesis  
vnde?

Ptolomæus vim atq; potentiam compræhendendi differ-  
entiam in vocibus, quæ circa acutum & graue, versa-  
tur, definit: & eam quæ stellarum motus, magnitudi-  
nes, distantias cum à terra, tum à se inuicem perscruta-  
tur: Quarum hanc Astronomiam, illam Musicam dixê-  
re veteres. Neque sanè meo iudicio immerito & sine  
ratione id ab ijs factum. Cum enim magnitudo, subie-  
cti consideratione, hoc est, corporum cœlestium respe-  
ctu, quæ mobilia sunt, aut mobilis sit, aut sine motu exi-  
stat, & numerus quoque vel absolute ac per se, vel cum  
comparatione alterius considerari possit; optimo sanè  
iure absolutorum numerorum doctrinæ Arithmeticam,  
relatorum vero Musicam attribuerunt; sicuti quantitati  
quæ sine motu est Geometriam, Astronomiam vero  
quantitati mobili assignarunt, vt ita in vniuersum qua-  
tuor essent disciplinæ Mathematicæ de duplici quantita-  
te, in duplici vtriusque consideratione, existentes. Ab  
hac porro Pythagoricorum partitione, non multum di-  
scerepare atq; aliena esse videtur illa D. Platonis, & claris-  
simi Mathematici Gemini diuisio; Illi enim quasdam, a  
iunt versari circa *τὰ νοητὰ* intellectu & cogitatione com-  
præhensibilia, quarum quidem rerum formas absolutas  
considerant, earumq; definitiones tradunt, ac materiam  
non attingunt; quæ etiam consideratio propterea cre-  
ditur esse tantæ certitudinis, vt rectæ disciplinæ ipsæ di-  
cantur non persuadere sed cogere, non probabilia, sed  
quæ aliter se habere non possunt proponere: quasdam  
vero dicunt circa *τὰ αἰσθητὰ* occupatas esse, quæ mate-  
riam habent sensibus expositam, seu quæ insensibilibus  
officium atq; opus exercent suum. Et prioris quidem

generis.

generis sunt, Numerandi & demetiendi disciplinae, Posterioris vero præter Musicam & Astronomiam, Mechanica quoque doctrina, quæ ad usum vitæ humanæ, belli pacisque tempore machinas depromit mirabiles, quales Archimedes confecit olim plurimas ad patriæ defensionem cõtra Marcellum; Ctesibius item & Heron Alexandrinus; ac memoria patrũ Regiomontanus. Ad hoc genus etiã Optica pertinet, quæ proprias affectiones umbræ ac lucis, eiusq; radiorum tam rectorum quam reflexorum, refractorumque explicat, & ex solidis Geometriæ fundamentis veram exponit causam, Cur figuræ, verbi gratia, Quadratæ circulares videantur? Cur Luna plena, globosa cū sit, figura lenticulari potius, quã circulari conspiciatur? Cur item ea quæ in aqua conspiciuntur oculis multò, quàm sunt maiora videantur, quæ procul ab oculis, minora? Cur in speculo dextra sinistra, & sinistra dextra cernantur? cur demum in speculo, vnus rei, <sup>intel</sup>imagines: item aliquando eadem inuersæ spectentur? Sed & Geodesia huc referenda est, quæ intelligentiæ lineas, quas ex Geometria sumit sensibus accomodat. Vt cum altitudinem, verbi gratia, turris alicuius per Astrolabium, Quadrantem, Baculum Iacobi, aut aliud instrumentum Geometricum metimur: aut aream vel Quadrati, vel alterius figuræ Geometricæ, nec non putei capacitatem, fæni aut frumenti aceruos ac metas per organa certa mensuramus. Logistica præterea etiam eò pertinet, quæ numerorum proprias affectiones ad pondera, aliasque res innumerabiles expendit; & demum Architectonica, quæ de sentetia Vitruuij scientia est ornata pluribus disciplinis ac eruditionibus, cuius iudicio probantur omnia,

Mechanica.

Optica.

Geodesia.

Logistica

Architectonica.



Puræ disci-  
plinæ Ma-  
thematicæ

Discipli-  
næ subal-  
ternæ.

quæ à cæteris artificibus perficiuntur opera. In his igitur artibus & disciplinis omnibus iam commemoratis, vis atq; efficacia Arithmetices atque Geometriæ inprimis cernitur; è quibus disciplinis duabus etiam veluti radices illæ dependent ac tanquam riuuli ex fonte derivatæ prodeunt. Hinc diuinus Plato eas, puras disciplinas Mathematicas nominat, ut quæ solas magnitudinum dimensiones, numerorumque rationes explicant, sine consideratione earum rerum quæ magnitudine & numeris constât. De his enim rebus disserens Mathematicus exponit, cuiusmodi eæ sint, sine omni materiæ respectu. Ut triangulum definiens, pronunciat figuram esse tribus lineis compræhensam: Circulum figuram esse lineam univocam conclusam, quæ peripheria dicitur, nihil planè addens, qua in re aut materia illæ figuræ sint descriptæ, aut expressæ; in ære ne, an lapide, an auro, ligno. Reliquas verò disciplinas omnes circa τὰ αἰσθητὰ versantes, mixtas vulgo appellant; Aristoteles *ἑπιμαθηματικὰς* & subalternas, eò quod eorum subiectum partim naturale sit, partim Mathematicum: à Mathematico enim illæ disciplinæ sumunt principia abstracta, & applicant ad materiam sensibilem, quæ Physiologiæ subiecta est. Ita Harmonice, verbi gratia, rationes & naturas numerorum non per se, ut Arithmetica considerat ac perpendit, sed easdem in chordis potissimum spectat: ita Optica non ut Geometria linearum ac figurarum passionem perpendit, sed de iisdem agit, quatenus aspectibus ad certam figuram efformatis accidunt. Constat, nisi fallor, ex hac adducta Mathematicarum disciplinarum Oeconomia, earumque legitima ac vera dispositione,

præte-

Præterea multiplici considerationis modo, astrorum cœ-  
 cœlique disciplinam, quam posteritas Astronomiam  
 vocavit, tam in docendo, quàm discendo posteriorem  
 esse Arithmetices & Geometriæ fundamentis, non qui-  
 dem eo duntaxat nomine, quod in re, vt dictum est, ver-  
 sentur istæ duæ disciplinæ, simplici, & ita natura sint  
 Astronomia priores, sed quòd insuper etiam sine admi-  
 niculo, & mediocri cognitione illarum artium vix ac ne  
 vix quidem intelligi possit, imo planè manca ac imper-  
 fecta sit de astris disciplina. Quem ordinem discendi do-  
 cendiq; disciplinas Mathematicas innuere nobis Plato  
 voluit, qui Arithmetica & Geometriam Astronomiæ  
 alas vocat, quibus in cœlum vsq; subuehamur. Et incul-  
 cat hunc nobis ordinem ipsa etiam antiquitas, in septē  
 artium liberalium distributione, qua non tam dignitatis  
 respectu, quam ordinis doctrinæ habita ratione, tres di-  
 cendi artes, quatuor disciplinis Mathematicis, & Astro-  
 nomiæ, Geometria & Arithmetica ante positæ sunt. At-  
 que eo fine istæ disciplinæ Geometria in primis & Arith-  
 metica Mathematicæ appellatæ sunt à veteribus; non sa-  
 nè eò quod hæ solæ discendæ essent, sed quod commu-  
 niter ad discendum omnibus ingenijs liberalibus in pue-  
 rili ac prima disciplina vulgo proponerentur. Nam fe-  
 licibus illis temporibus, cum linguæ & Grammatices  
 studia essent nulla; Tropi quoque & figuræ Rhetoricæ,  
 cum argumentorum & syllogismorum modis adhuc in  
 scholis ignorarentur, initia & principia à Mathematicis  
 ducebantur, sicuti eruditionis absolutio à physicis &  
 & politicis pendebat. Est itaque non solum ipsa Astro-  
 nomia suo loco & ordine, hoc est, post Arithmetices at-

Astro-  
 nomia post  
 Arithmet.  
 & Geome-  
 triam di-  
 scenda.



Sphærica  
doctrina  
prior feci-  
dorū mo-  
bilium ex-  
plicatione

que Geometriæ cognitionem inter reliquas disciplinas discenda, sed etiam in ipsis partibus vniuersam artem constituentibus certus ordo tenendus est. Cum enim Sphærica doctrina, seu primi mobilis explicatio, quæ priorem illâ Astronomiæ partem cōstituit ac p̄ficit, ratione motus, omniū Astronomorum & philosophorū calculo simplicior sit, & propterea etiam cognitu multò facilior secundorum mobilium tractatione, quam vulgo Theoricam dicimus, Rectè etiam ordine doctrinæ hanc ipsam partem, quam vobis ex ipso Purbachio hoc tempore DEO adiuuante explicare constitui antecedit. Nec inuerti is ordo potest, aut debet, nisi quis præpostero planè ordine contra Methodum ad discendum aptissimam, ab omnibus sanioribus philosophis & Mathematicis approbatam, ac multis nominibus nobis commendatam, cursum studiorum suorum, non sine exiguo detrimento, instituere velit. Sed ea de re latius differendi locum mihi non esse video. Subsisto itaque hoc loco, & vobis, Auditores ea quæ hæcenus commemorata sunt paucis in mentem reuoco. Intellexistis ( nisi fallor ) satis, non tantum, quo ordine inter disciplinas Mathematicas, verum etiam, ex quibus potissimum Autoribus, Astronomia discenda sit, cum maximè in tanta authorum copia & multitudine infinita, discentes non rarò impediri in proposito, imo vt plurimum auocari penitus soleant. Vestrarum itaq; partium erit deinceps adolescentes optimi, auditores lectissimi charissimiq; hanc operam nostram æqui boniq; facere, atq; animis vestris probè perpendere, cur ad hanc liberalis scientiæ cognitionisq; mercaturam missi sitis,

omni



D E A S T R O N O M I A .

omni cura atque cogitatione prouidendo, ne tempore  
vestri atque ætatis flos omnis, qui semel tantum ho-  
mini in vita contingit, incautis vobis defluat, dispereat  
que. Hoc enim irreparabili thesauro semel amisso, va-  
na postea est omnis penitentiaæ anxietas atque dolor,  
vanus labor, vanum omne studium. Sin istud, quod officii  
vestrum à vobis requirit, adhibita diligentia, feceri-  
tis, sine dubitatione propositam studijs vestris metam af-  
sequamini aliquando, summaq; cum voluptate ac iucun-  
dissima tum temporis, tum laborum exantlatorum me-  
moriam suauiter recreabimini, digni quibus & Ecclesia  
salus, & Reipub. Christiana incolunitas cum ho-  
nore & dignitate gubernanda aliquan-  
do concredatur.

D I X I .





... singularis imo celestis hominis filia





Gb 777. I

800

ULB Halle 3  
 001 618 563



Sb.

EX LIBRIS  
 ILLVSTRISSIMI VIRI,  
 DN. DAN. LVDOV. PHIL.  
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
 STATVS INTIMI, cetera,  
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
 TESTAMENTO RELICTIS.

VDTT

114


In splendoribus singularis imo celestis hominis filia



romis sub tanta vniuersitate  
solentur tunc de regione  
guina. **H**odie cadet pulcherrima  
filia populi sui & domini patris oblit  
fama sancti spiritus micata sed igne  
materiali consumata. **H**ic enim cordi  
ad fidem inclinauerat sed iam int  
pugnando deos amplexus vi  
detur per speciem eius concupierat  
in illa iunamur & filia audierat  
quia celestis pater illa ut reuerteret  
inocauerat **S**ancto igitur narcho  
preedicante statim ad mentem pa  
tris rediit. **H**ic cum illum cui male  
adheret deseruit. **H**ic que centum ca  
dos olei dno suo redere debuit.  
**A**ccpta cautione sacramentorum  
scripsit sibi quinquaginta & promeruit  
esse filia **S**ic multi in retroactis era  
tib' redire a suis errantibus. **S**ic ma  
ria magdalena sic mulier illa chana  
neque per postquam negauerat  
rediit. **H**ic paulus xpi voce perstrat  
reliquit. **M**artice a theloneo ipsius  
pris rediit pconio. **H**ic sachelu lico

**C**us qui hunc di  
nati verbum transt  
cruas ad eum missa  
s voce coniecta:  
mus: ut diuini pati  
s in eius meramur  
tant formam: qui pec  
morum fieri precepit  
is dominus nollet  
**H**ic marti offi  
cpeccauerunt. **L**olla.  
illa tuam questimus  
supple me ppicus  
que te impudice  
tarius martiri tu  
e locumque eius  
castigauerunt.  
**D**onati marti  
**V**na condicione





XXII

DE  
ASTRONOMIA,  
Oratio secunda;  
A V T O R V M;  
*Qui scriptis artem nobilissimam illustrarunt,*  
D E L E C T V M;  
E T  
D O C T R I N Æ  
Ut pulcherrimæ, ita difficilimæ  
O R D I N E M  
C O M M O N S T R A N S.  
*Ad Auditores huius discipline pub. habita*  
à  
CHRISTOPHORO MEVRERO D.  
M A T H E M A T V M P R O F E S S O R E,  
& Reip. Lipsiensis Physico.  
Lipsiæ,  
I M P R I M E B A T M I C H A E L  
L A N T Z E N B E R G E R.  
Anno 1596.

82

27

27